



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Explanatio In Psalmos

Complectens primos 25. Psalmos

Bellarmino, Roberto Francesco Romolo <Heiliger>

Dusseldorpii, [1761]

VD18 15558428-001

Psalmus X.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-53377](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-53377)



dicit orationem, sed *desiderium pauperum*, ut ostendat celerem exauditionem. Deus, qui scrutatur corda, non expectabit orationem; sed ipsum desiderium, quod orationem præcedere solet, & ad eam præparatio est, exaudiet.

¶. 42. *Judicare pupillo, & humili, ut non apponat ultra magnificare se homo super terram.*

Ad hoc exaudivit Dominus desiderium pauperum, ut judicet causam pupilli, & humilis contra ipsos eorum oppressores, ne deinceps homo audeat superbire, homo, inquam. qui est super terram, contra Deum, qui est in Cælo. Hebraicè est *homo de terrâ*, h. e. ex terrâ compositus, ne scilicet superbiat figmentum contra factorem suum.

PSALMUS X.

Titulus: *In finem Psalmus David.* Sensus patet ex dictis, præsertim Ps. IV.

Argumentum: *Hortatur ad confidentiam tempore calumniarum, aliarumque persecutionum. Loquitur David in personâ cujuslibet justî, prævidens quodammodo illud*

lud



lud Apostoli: Omnes qui piè vivere volunt, persecutiones patientur. 2. Timot. 3.

v. 1, In Domino confido, quomodo dicitis animæ meæ, transmigra in montem, sicut passer?

In Domino, qui ubique est, confido: quomodo dicitis &c. cur mihi persuadere conamini: alloquitur vel Dæmones tentantes, vel internas tentationes, ab iis suggestas. Transmigra &c. desere vocationem, & hominum consortium, & abi ad locum, ubi nulla sint pericula, nullæ tentationes. Sicut passer, qui timens aucupem volat ad cacumina montium, quò auceps non potest ascendere. Tales montes respectu tentationum nulli sunt; unde phantasticè putant non nulli earum molestiam mutatione locorum posse declinari. Justus autem constans est, & locum suum non deserit, sciens ubique tentationes Diaboli, & ubique adjutorium Dei esse.

v. 2. Quoniam ecce peccatores intenderunt arcum, paraverunt sagittas suas in pharetra, ut sagittent in obscuro rectos corde.

E 2

Ratio



Ratio cur sit fugiendum ad montem, seu deferenda vocatio præ nimio timore, quem tentatio suggerit: quia scilicet mali homines assiduè persequuntur justos sive calumniis, sive aliâ ratione. Comparat calumnias, persecutiones sagittis, quæ jaciuntur in obscuro, ut significet eas non solum graviter animum ferire, sed etiam vix posse caveri. Huic tentationi respondet: *in Domino confido.*

¶ 3. *Quoniam quæ perfecisti, destruxerunt, justus autem quid fecit?*

Confirmat per apostrophem ad Deum, verum esse, quod peccatores injustè persequuntur justos. Nam peccatores *destruxerunt* ea, quæ tu perfecisti, h. e. leges tuas perfectissimas, consilia, ordinationes, dum non solum non reddunt bona pro malis, ut Tu jubes; sed reddunt mala pro bonis, calumniando, & persequendo; *Justus autem* &c. & quidem sinè ullâ causâ: nam justus non dedit illis ullam occasionem.

¶ 4. *Dominus in templo sancto suo, Dominus in Cælo sedes ejus.*

Incipit rationem reddere, cur confidat in Domino: quia Dominus omnium
in



in templo sancto; h. e. in Cælo sedet iudex, unde omnia videat, & omnes subjectos habeat. *Dominus in Cælo &c.* dicit idem bis; dein hebraismus est, pro: *Sedes Domini in Cælo est.*

✠. 5. *Oculi ejus in pauperem respiciunt, palpebræ ejus interrogant filios hominum.*

Ex throno illo altissimo, cui nihil abscondi potest, respicit Deus pauperem; proinde nihil mali accidere potest hominibus, Deo non sciente, aut permittente, quæ est maxima consolatio justorum. Deus enim videt, & videndo discernit, ac dijudicat bonos, & malos, & omnia eorum opera. *Palpebræ* ponuntur pro oculis; *oculi* pro mente; *interrogare* pro exactè cognoscere.

✠. 6. *Dominus interrogat justum, & impium: qui autem diligit iniquitatem, odit animam suam.*

Non solùm Deus cognoscit exactè justum, & impium, sed etiam pro meritis remunerat vel punit. *Odit animam suam* h. e. seipsum, quia propter iniquitatem suam gravissimè punitur.

✠. 7. *Pluet super peccatores laqueos: ignis,*



ignis, & sulphur, & spiritus procellarum pars calicis eorum.

Ratio, cur impii se oderint: quia Deus *pluet laqueos*, h. e. finet eos quotidie involvi pluribus, & majoribus peccatis, percutiendo eos cæcitate, & tradendo in reprobam sensum; ecce gravissimam pænam in hâc vitâ; postea damnando ad ignem, sulphur &c. *Spiritus procellarum*, h. e. summum frigus. *Pars calicis*, h. e. hæreditatis: reprobi omnes Patrem eundem habent Diabolum. Calix dicitur hæreditas, quia, ut convivæ calicem, ita filii bona patris inter se dividunt.

✱. 8. *Quoniam justus Dominus, & justitiam dilexit, æquitatem vidit vultus ejus.*

Hæc est vera ratio, cur Deus tam atrociter impios puniat: quia justus est ipse in se, & diligit opera justa in omnibus aliis. Justitia, æquitas est complementum virtutum, cujus compendium est amor Dei, & proximi. *Vidit vultus*, oculus visione approbationis, h. e. approbavit.